

[Faint, illegible handwriting on a blank page]



58

Q. D. B. V.

COLLEGII SYNOPTICI
 IN
 PARTEM GENERALEM PHYSICÆ
 DISPUTATIO SECUNDA,
De Naturâ & Con-
stitutione Physicæ.

Quam

IN ILLUSTRIS ACADEMIA WITTENBERGENSI,
 A. D. XIIII. SEPTEMBRIS, A. C. MDCL.

Disquisitioni sistunt publicæ

PRÆSES

M. SAMUEL POMARIUS,
 COLLEGII PHILOSOPHICI ADJUNCTUS,

ET RESPONDENS

PETRUS-PAULUS Nitzschka Torg.

In Auditorio minori Horis Pomerid.

Typis MICHAELIS Wende.



ARA GRATITUDINIS

VIRIS AMPLISSIMIS, CLARISSIMIS,
CONSULTISSIMIS

DNNN.

COSS. JUDIC. CETERISQUE SENATO-
RIBUS Inclutæ Reipublicæ Torgensis pru-
dentia, pietate & gravitate
eminentissimis

*Dnn. Mecenatibus, Promotoribus ac Fau-
toribus suis demissè jugiterq; colendis
& venerandis*

erecta,

à

PETRO-PAULO Nitzschka Torg.
Respondente,

Typis MICHAELIS PUMPER

IN NOMINE DOMINI JESU!
COLLEGII SYNOPTICI IN PAR-
TEM GENERALEM PHYSICÆ

DISPUTATIO II.

De Naturâ & Constitutione Physicæ.

RESPOND.

PETRO-PAULO Mitschka Torg.

POSITIO I.

Dividitur Physica in Partem Generalem & Specialem. Generalis est, quæ Corpus naturale in genere considerat, ejusq; causas & affectiones exhibet. Specialis est, quæ species corporis naturalis considerat, earumq; causas & affectiones exhibet.

Expositio.

§. I. **F**undamentum Divisionis hujus desumitur à Subjecto Physicæ. Id quod fit in omnibus etiam aliis Scientiis. Ubi quotupliciter se Objectum ipsum habet, totupliciter etiam deinceps disciplina illa dispescitur. Juxta Canonem: Secunda venit scientia, ut scibilia. Aristoteles 1. 3. de an. c. 8. τέμνεται ἡ ἐπιστήμη καὶ ἡ αἰσθησις εἰς τὰ πράγματα. Et quod idem ibidem habet: ἐστὶ δ' ἡ ἐπιστήμη μὴ τὰ ἐπισήματα πως: Scientia est quodammodo ipsa scibilia. Absolutè quidem & realiter scibile & scientia plurimum differunt. Illud enim per omnia summa rerum genera vagatur: hæc in Prædicamento Qualitatis & Relationis tantum locum habet. Respectivè tamen & idealiter conveniunt: quia Scientia ponit nobis scibile ipsum ob animum. Sicut imago picta Cæsarem, aut species in speculo Petrum extra speculum representat, sic scientia rem scitam. Idem etiam in Physicâ usu venit. Objectum hujus Corpus naturale est, quatenus tale. Hoc duplici modo in Naturâ se habet. Dantur enim aliqua, in quibus cor-
B
pora

pora naturalia conveniunt; dantur & aliqua, in quibus discon-
veniunt. Illa communia sunt omnibus corporibus naturalibus:
qualia sunt causæ generales & affectiones generales. Hæc propria
sunt singulis: qualia sunt causæ speciales & affectiones speciales.
Sicut itaq; scibile hoc se habet extra intellectum nostrum, ita quo-
que se habere debet in intellectu nostro, ita quoque in Physicâ.
Quippe quæ aliud nihil est, quàm representatio totius mundi co-
ram intellectu nostro: ubi veritas cognoscendi semper dependet
à veritate essendi, eamq; præsupponit fundamenti primi loco. Ea
ergò, quæ communia sunt omnibus Corporibus naturalibus, tra-
ctantur in Parte Generali; quæ propria singulis, in Speciali. Ac ita
cuiq; tribuitur quod suum est, ut neq; specialia involvantur gene-
ralibus, neque ingrata cantilenâ eadem semel ac iterum recen-
tentur.

§. 2. Atq; hinc Partitio hæc nostra. Quæ non debet videri
communis disciplinis etiã aliis, Logicæ puta, Metaphysicæ, Pnev-
maticæ, duæ item dividuntur in Partem Generalem & Specialem.
Nomen tantùm commune est, & æquivocum planè: res verò per
nomen illud significata prorsus alia atq; diversa est: id quod patet
ex Definitionibus partium dividendum in distinctis illis discipli-
nis. Fonseca *l. 4. Inst. c. 10.* respondet, in Divisionibus hujusmodi
ipsum Divisum in singulis membris debere exprimi, aut certè sub-
intelligi. Hoc pacto: Physica dividitur in Partem Generalem Phy-
sicæ, & Partem Specialem Physicæ. Sic instantiæ de aliis disciplinis
actutùm exspirant. Zabarella *de Nat. Sc. Constit. c. 6.* aliquorum
suæ ætatis Philosophorum meminit, qui Physicam in duas princi-
pes partes dividendam judicaverint; unam priorem, quæ sit de
Principiis Corporum naturalium, eamque octo Physicæ auscultationis
libris Aristotelis contineri; alteram posteriorem, in quâ aga-
tur de corporibus ipsis naturalibus, eamque continere reliquos om-
nes libros naturales, quorum primus est liber de cœlo. Sed rectè
ibidem addit, minùs accuratè contradistingui Corpus naturale
Principiis Corporis naturalis: cùm ipsamet de Principiis tractatio
actu includat tractationem de Corpore naturali: deinde etiam ac-
cidentia ipsa seu affectiones omitti, quæ non possint ante corpus
naturale tractari, siquidem accidentia sunt naturâ posteriora
subjecto.

POSITIO

POSITIO II.
Efficiens Physicæ Causa Prima DEUS est; Se-
cunda Homines.

Expositio.

§. 1. Non fortè fortunâ exstitit, aut heri nudiusvè tertius or-
tum suum cepit Physica, sed DEO primam debet originem. *Omnia
donatio bona, & omne donum perfectum è supernis est, descendens à Pa-
tre luminum Jac. I. 17.* Ipse fons ac fundus omnium scientiarum est:
unde si cui nostrum deest sapientia, postulare debet à DEO, qui
dat omnibus simpliciter, nec exprobrat, & dabitur ei, *Jac. I. 5.* Ac in
specie de Physicâ insignis Locus exstat *Sap. VII. 17.* ubi Salomon fate-
tur, DEUM dedisse sibi eorum quæ sunt, cognitionem certam, ut co-
gnoscat constitutionem mundi & vim elementorum, principium
& finem mediumq; temporum, solstitiorum mutationes & va-
rietates tempestatum, anni circuitus & stellarum situs, naturas ani-
mantium & animas bestiarum, spirituum voces & cogitationes ho-
minum, differentiæ plantarum & facultates radicum. Nō ergo Phy-
sica inventum humanum est, sed maximum maximi Dei donum. A-
deò ut partem divini cultus subeat, Physicam qui docet aut discit:
in quâ tot Creaturarum testimonia ad Creatorem ipsum cogno-
scendum & venerandum manu nos ducunt. Non hominum sed
Dei res agunt Physici. Ei tot exstruunt aras, quot exarant libros,
tot offerunt libamina, quot proferunt volumina.

§. 2. Caterum ut omne bonum sui communicativum est: ita
quoq; Summum Bonum DEUS Opt. Max. bonitatis suæ participes
Creaturas fecit, quantum conditio illarum permetteret, eaque sic il-
las implevit, ut se non depleret. Ille desiderium sciendi naturales
res hominibus omnibus indidit: ille cineres hos sub tacitis quasi fa-
villis aliquantis per conditos deinde in flammam ipsam luculen-
tissimam adolecere jussit. Hinc Autores & cultores Physici exstite-
runt, quàm primum mundus exstitit. Primus ac excellentissimus
Physicus Adamus fuit. Qui cum nominibus suis cuncta animalia,
& universa volatilia cœli, & omnes bestias terræ, ipsam quoq; Con-
jugem Evam nominaret, quid nisi consummatissimam rerum natu-
ralium

Hum scientiam de se prodidit? De eo suavissima pientissimi PHILIP-
PI verba sunt *Præfat. Physicæ: Arbitror & primum Parentem generis
humani sedentem in cespite, inter fragrantès frutices, in umbrâ patulæ
arboris, Abelo suo hanc exiguam doctrinam (Physicæ) initiò tradidisse, &
monstrasse ordinem & positum cæli, stellarum, aëris, aquæ & terræ, &
discrimina machine æthereæ seu cælestis, & corporum mutabilium non
mistorum, quæ nos Elementa vocamus, docuisse etiam quæ sint anni &
mensium spacia & metæ, & monuisse, hæc corpora non casu ita confluisse,
sed à DEO condita & ordine collocata esse, & quidem velle eum agnoscere
suam in hujus machine & nostri generis conservatione præsentiam.*
Quid Jacobum Patriarcham memorem, cujus Strategema Physicum
recensetur *Genes. XXX. 31. sqq.* Salomonem verò cum primis. Scri-
ptura tanquam perfectissimum Botanicum ac Zoologum nobis
depingit, cum *I. Reg. IV. 33.* de eo refert: *Locutus est de plantis à Ce-
dro, quæ est in Libano, usq; ad muscum, qui prodit è pariete, de jumentis,
de volucribus, de reptilibus, & de piscibus.* Quid Trismegistus Mosis cœ-
taneus in *Physicis* præstiterit, *Dialogi* ipsius testantur, *Pœmæder,*
*Minerva Mundi, De Animâ, De Intellectione & sensu, aliaq; De Py-
thagorâ* vide *Ovid. XV. Met. 67. sqq.* De *Mocho Phœnicio, Hesiodo,*
Anaxagorâ, Empedocle, Platone, Ocello, Epicuro, Lucretio tacere
præstat, quàm pauca dicere. Nec Aristoteli invidemus aut detre-
ctamus famam ac virtutem suam, quem Laërtius vocat *Φιλοσο-
φία (α τον ης) & φιλικώτατον*, cujus usibus Alexander M. piscatores, ve-
natores, agricolas, cæterosq; id genus homines aluit, ex quibus
Naturam disceret. Sed nec omnia ejus Opera ad nos pervenerunt,
& quæ pervenerunt, mutilata, corrupta, obscura, falsa pleraq; sunt.
Unde eum solum docentibus ac discantibus obtrudere, ac in texti-
bus ejus controversiisq; dies noctesq; desiderare ac desudare neque
debet, neq; expedit. Qui verò ab eo Peripatetici secuti sunt, mirum
ac miserum in modum nobilissimam Physicam deturpârunt, spi-
nosissimis ac inutilissimis Quæstiunculis eâ farcientes, & ad suum
quisq; caput Aristotelem Magistrum fingentes ac refingentes. Un-
de Autoribus dimissis Naturam ipsam tutiùs sequimur, Duce[m] ac
Normam certissimam: quo de nunc porro agendum no-
bis fuerit.

POSITIO

POSITIO III.
Norma Controversiarū Physicarū est Natura.

Expositio.

§. 1. Normam hīc intelligimus non Quantitatis, juxta quam quantitatem rerū æstimamus: sic ulna est mensura panni, cantharus cerevisiæ, horologium temporis: non Perfectionis, juxta quam perfectionem rerū æstimamus: sic DEUS est mensura Entium, Homo Corporum naturalium: sed Cognitionis, juxta quam veritatem rerū æstimamus. Sic dicimus: res esse mensuram intellectūs, non intellectum rerū, intellectum non mensurare res ipsas, sed mensurari à rebus. Hāc opus maximè, ne intellectus noster, qui ad verum fertur naturaliter, à vero aberrat, & falsa pro veris arripiat. Hanc dicimus Naturam esse. Cujus item vocabuli tanta est ambiguitas, ut Combricensis in consonantium vocabulorum silvā ramos obvios præcidere jubeant, ne alicui fortassis viam obstruant in *L. 2. Physic. c. 1. q. 1. p. 257.* Hic accipimus eam pro mundo, aut corporibus naturalibus in mundo contentis. Cum his si congruat cognitio nostra Physica, vera est, ab his si incongruat, falsa. Idea, quæ in intellectu hæret, debet exactè respondere rei quæ extra intellectum est. Quandoquocumq; ergo Controversia aliqua Physica oboritur, non ad Aristotelem, sed ad Naturā tendendū est. Sicut fabri cum de curvitate aut rectitudine ligni litigiū oritur, non ad architectum, sed ad perpendiculum recurrunt. Rectè Dn. D. Scharfius *Præcognit. Physic. p. 9. Norma Principiorum Physicorum est natura cum omnibus suis partibus, viribus, proprietatibus & operibus à DEO Natura autore condita, seu series rerum naturalium, ordo & efficacia corporum, operum natura. Hec sunt fundamenta fons & fundus Physiologia.*

§. 2. Scripturam tamen in Physicis non seponimus, sed præsupponimus. Utenim scopus ejus primarius sit Fides ac salus hominis *Joan. XX. 31.* secundarius tamen non negandus, informare nos in Politicis, in Ethicis, in Oeconomicis, in Physicis, aliisque. Argumentum ab autoritate divinā ductum firmissimum est, & plus valet quàm mille demonstrationes scientificæ. Locus à Testimonio communis & cōcessus omnibus est. Testimonium vero ipsum non dicis gratiā adducitur, sed vim item probandi obtinet, probabilem quidem, si humanū fuerit, apodicticam verò & plusquàm apodicticam, si divinum. Bartholinus scribit *Proœm. Physicæ Generalis: Judicanda sunt omnia in Physicis*

vel 1. ex sacra scriptura, vel 2. recta ratione, vel 3. experientia, vel 4. his omni-
bus conjunctis: ubi tamen minimus apex ex sacris monumentis omnibus hu-
mana Sapientie argumentis preferendus. Quis enim conditori Naturae de
Naturae differenti non crederet? Et B. Philippus notanter *Physic.* p. 63.
Quaquam rident aliqui *Physicum* testimonia divina citantem: tamen nos
honestum esse censemus, Philosophiam conferre ad caelestia dicta, & in tanta
caligine humane mentis auctoritatem divinam consulere ubicunq; possumus.
Nempè Scriptura non tradit contraria *Physicæ*; cum veritas veritati
non contrarietur. Aristoteles *l. 1. analyt. c. 33.* δὲ πᾶν τὸ ἀληθεὶς αὐτῷ ἐ-
αυτῷ ὁμολογῆ μᾶλλον εἶναι πᾶν τῆ. Veritas autem Scriptura est *Jo. XVII.*
17. veritas item rerum naturalium notitia *Rom. I. 18. 25.* Veritas etiam u-
na tantum est, non duplex, non multiplex. Ratione objectorum qui-
dem diversorum datur alia & alia Veritas, quia alia & alia essentia. At
de uno eodemque Objecto est ratione subordinationis alia sit supra
rationem, sive Fidei, alia infra rationem, sive Sensuum, alia Rationis ipsi-
ratione Oppositionis tamen evenire nunquam potest, ut detur duplex
veritas opposita. Pater hoc tum ex Naturae Veritatis, tum ex Naturae
oppositorum. Veritas cum a priori describitur, est affectio Entis unita,
quae illud habet euitatem sibi debitam. Entitas autem rei uni debita
non nisi una esse potest; caeteroquin & res ipsa una amplius non erit.
Nam essentia rei & veritas rei fundamentaliter recurrunt. Cum a po-
steriori adumbratur, est conformitas rei cum Intellectu, divino pri-
mario, humano secundario. At divinus intellectus unus est & immu-
tabilis, & uniformiter etiam rem ipsam, uti in se est, concipit. Opor-
tet ergo & rem ipsam ceu normatum cum primae illae norma congrue-
re. Cum humano item intellectu res una non nisi uno modo conforma-
ri potest, secus falsitas oritur, cum difformitas datur inter rem conce-
ptam & intellectum concipientem. Opposita etiam, contradictoria
scilicet, quae hic intendimus, non possunt esse simul vera & simul fal-
sa, sed repugnant sibi invicem perpetuo. Essent autem simul vera & si-
mul falsa, nec naturae pugnantis, si esset duplex veritas.

§. 3. Neq; metuendus hic transitus in aliud genus, cum *Physicus*
ex Scriptura aliquid probat. Non fit ibi transitus ex una disciplina in
aliam. Liber est Scriptura, non disciplina. Aliud Theologia est, aliud
Scriptura. Non fit etiam transitus ex una materia in aliam. Manet ob-
jectum invariatum tum quoad materiale seu rem coconsideratam, tum
quoad formale seu modum considerandi, sive in Scriptura, sive in *Phy-*
sicæ habeatur. An ex peregrino Principio probatio talis precedat, res

videtur majoris indaginis. Sed nec id verendum. Scriptura Sacra non est ita proprium Principium Theologiæ, ut ex illâ solæ Theologiæ Conclusiones probari debeant, ut ex Physicâ Physicæ: sed commune est omnibus, J. Cris, Medicis, Philosophis. Non omnia Biblica Theologica sunt. Quædam Theologica sunt, quædam Juridica, quædam Chronologica, quædam Geographica, quædam Physica. Hæc cum assumunt disciplinam istarum Professores, falcem in alienam messem non mittunt, sed ex promptuario communi suum penu adaugent. Imò verò, si rem ex vero æstimare velis, ibi Theologi ab istis potiùs dependent, quàm hi ab illis. Artifici n. credendum in suâ arte. Cum Aristoteles *τὰ ἐνεία ἀήματα* in Demonstrationibus requirit, Demonstrationes vulgares intellexit, in quibus affectio de Subjecto suo demonstratur per causam proximâ ac immediatâ. Talē Demonstrationē probationē nostram nō esse, ultrò largimur. Eminentior longè atq; efficacior est.

§. 4. Atq; sic admittendâ omninò censemus in Physicis divinam Scripturam, rat non ut Normam rerum Pyficarū. Norma quippe unius rei non nisi una est. Norma non tantùm debet esse certa & infallibilis, sed & homogenea suo normato, sed & adæquata. Benè D. Scharfius *Præc. Phys. Recognit. p. 17. Neq; omninò approbare possumus Danae Sententiam, qui sacras literas pro normâ Physitarum conclusionum assumit. Non quidem impiè, sed inconsideratiùs paulò.*

POSITIO IV.

Physica utilissima est Theologis, Jureconsultis,
Medicis, Philosophis.

Expositio.

§. 1. Debeamus quidē, ingenuæ mentes, ac Minervæ potiùs, quàm Mercurij alumni, artes ac disciplinas ex honestate magis ac dignitate suâ metiri, quàm ex utilitate. Scire per se pulcrum ac jucundum est, etsi lucri inde parùm aut nihil speres. De Physicâ nostrâ speciatim B. Philippus pronunciat *L. 1. Phys. p. 18. Tota Natura rerum velut theatrū est humani ingenii, quod Deus vult adspici. Ideò indidit hominum mentibus cupiditatem considerandarum rerum, & voluptatem, quæ agnitionem comitatur. Hæ cause inoitant sana ingenia ad considerationem Naturæ, ETIAMSÌ UTILITAS NULLA SE QUERETUR.* Quia tamen pleriq; cymbam universalium actionū nostrarum ferrum nobilitatis nō regit, nisi magnete aliquo utilitatis perfricetur, etiâ Physicæ nostræ utilitates suas maximas nō deesse ostendere nobis in promptu est.

§. 2. THEOLOGIS conducit ad plurima Scripturæ loca clariùs & plenius explicanda. Primum Geneseos Caput totum Phycum est, & Corporum naturalium ultimam originem ex professo tradit. Quæ si quis pertractare diffusius amaverit, ei Phycam non primoribus labris delibasse, sed gutture toto imbibisse opus fuerit. Ut existimem, Spiritum S. hoc pacto non perfunctoriè honorare Phycam & commendare omnibus voluisse, dum Librum Naturæ frontispiciũ statim esse voluit Libri Scripturæ, Nec minùs idem de XXXVIII. XXXIX. & XL. Hiobi Capp. statuendum est. Ubi Gloriosus DEus ipse Hiobum ad Examẽ Phycum citat, & Magistrales planè, ut vocant, Quæstiones ipsi proponit de terrâ de mari, de luce, de pluvîâ, de rore, de Plejadibus, de Arcturo, de nebula, de rhinocerote, struthione, equo, aquilâ, Behemoth & Leviathan. Idem dicẽdum de toto XLIII. Cap. Siracidæ. Quomodo ex iutu baculorum variegatorum oves Jacobi unicolores fœtum multicolorẽ pepererint, vix assequetur quisquam satis, nisi cui modus ac vires Phantasiæ & Phycis fuerint cognitæ. Sic Sap. VII. 1. 2. 3. & Jobi X. 8. 9. 10. 11. modus generationis & formationis humanæ in utero describitur, qui ex Phycis lucem capit, Cũ Scriptura lumbis generationem tribuit Gen. XXXV. 11. Ebr. VII. 5. 10. cũ dicit DEum corda & renes scrutari Psal. VII. 20. XXVI. 2. ibi si de fundamentis suis erui Phrases illæ debeant, solidiori Phycæ cognitione peropus est. In lumbis nempe renes siti sunt: in his sanguis ad seminis generationem jam tũ præparatur, & per arterias feminales ad testes devehitur. Ut ergo Cor pravarum cogitationum sedes, ita Renes pravarum concupiscentiarum ac libidinum.

§. 3. JURECONSULTIS etiam obvenire aliquando casus tales possunt, in quibus decidendis aut ipsos habitu Phycæ instructos esse oportet, aut Phycos opem poscere. An cadaver sanguinem stillans Homicidam prodat, controversant. Ubi num Supernaturales Causæ, num Naturales profluvii illius sanguinei subsunt, ex Phycâ petendũ est. An homicidium committat, qui embryonem in utero materno à conceptione statim interficit, aut interficiendi occasionẽ præbet, quæritur. Videtur quod nõ, juxta Jctos, quia tũ homo nondũ adest, nec in delinquentẽ ordinariæ gladii pœnæ locus est. In Jure Canonico C. Sicuti 10. Caus. 32. q. 2. ex Hier. hæc habentur: Semina paulatim formantur in uteris, & tamdiu nõ reputatur homo, donec elementa confecta suas imagines membraque suscipiant. In Jure Civili ad L. 4. ff. de extraordinariis criminib. ubi: D. Severus & Antoninus rescripserunt, eam quæ datã operã abegit, à Præside in temporale exsilium dandum: Glossa sic annotat: ante quadraginta dies: quia ante nõ erat homo: postea de homicidio tenetur secundum legem Mosi, vel legem Pompejam de parricidjis. Sed Phycæ docet, à primo statim conceptionis momento animã adesse, eamq; cum materiã perfectũ hominẽ constituere. Unde Textus illos Juris prisca hypothese Educatione superstructos dicit. Quod autẽ ad pœnarũ differentiam attinet, id nihil ad Phycã. Nempe fœtus vitalis esse cum primis à posteriori ex motu cognoscitur, qui circa mediũ demã formationis tempus accidit. Tutã ergo viã ire gudent Jcti, cũ ante tempus illud nondũ de conceptione constare posset. Satiùs autumant nocentẽ dimittere, quã innocentem punire. Quid quod ipsimet fœtum in utero expressẽ hominem vocant §. 4. l. 38. ff. de pœnis, ubi: Quod si eo (abortionis aut amatorio poculo) mulier aut Homo perierit, summo supplicio afficiuntur.

§. 4. MEDICOS & PHILOSOPHOS ob angustiam chartæ cogimur omittere,
GLORIA IN EXCELSIS DEO!

*Eximio atq³ Præstantissimo Dn. RĒSPON-
DENTI, Fautori Amico.*

Quſi dividatur, quosq[;] nôrit Autores
Normamq[;] PHYSICA, quàmq[;] nobiles
 uſus (KA
Cunctis miniſtret, pauculis doces, NITSCH-
Amice, chartis. Perge! fronte quod primâ
Paucum videtur, plura geſtat à tergo.

M. Sam. Pomarius, Præſes.



Eximio atq; Reverendissimo Do. RESPO-
DENTI, Tuncor Amice.

Q. Et dividatur quod; nō sit Auctor
Normant; PHYSICA, quā; nobilis
utis
Cunctis mīnistris, parentis doctis, NITENT-
Amice charis. Regis! nōne quod pīam
Pancem videtur, pīam gēat arago.

M. Sam. Pomeran; Profr.




✓
00 A 6436

ULB Halle 3
004 931 300


KD 18







58

B. V.

SYNOPTICI

ALEM PHYSICÆ

SECUNDA,

â & Con.

Phyficæ.

A WITTENBERGENSI,
RIS, A. C. CIJ IJ CL.

stunt publicæ

SES
OMARIUS,
PHICI ADJUNCTUS,

NDENS
S Nitzschka Torg.

ri Horis Pomerid.

ELIS Bendt.

